

# Recueil des chartes de l'abbaye de Stavelot-Malmedy, 265

IN NOMINE SANCTE ET INDIVIDUE TRINITATIS. Erlebaldus Dei gratia Stabulensis abbas successoribus suis in perpetuum. Notum facimus tam futuris quam presentibus, quod quidam de liberiori familia aecclesiae nostrae, utpote castellani nostri, tres videlicet fratres Erchmannus, Adelardus et Franco, terram Malmundariensis aecclesiae, quam in Rocheldenges a Heinrico comite Namucense in feodo tenebant, in manu predicti comitis resignaverunt, quam comes qui idem beneficium a predecessoribus nostris et nobis ab antiquo jure beneficii tenebat; simili modo in manus nostras resignavit et exfestucavit, hac conditione ut nos predictam terram Averbodensi aecclesiae traderemus. Communicato itaque fratrum nostrorum Malmundariensium specialiter consilio, ad quorum possessionem illud allodium pertinebat, quam comes qui idem beneficium a predecessoribus nostris et nobis ab antiquo jure beneficii tenebat; simili modo in manus nostras resignavit et exfestucavit, hac conditione ut nos predictam terram Averbodensi ecclesie traderemus. Communicato itaque fratrum nostrorum Malmundariensium specialiter consilio, ad quorum possessionem illud allodium pertinebat, predictae Averbodensi aecclesie terram illam tradimus. Et ut firmius et stabilius illam possideret, singulis annis pro predicto allodio V solidos Leodicensis monetae Malmundariensi aecclesiae in passione apostolorum Petri et Pauli persolveret, et sic allodium illud in quieta pace aecclesia illa possideret. Predictos autem solidos V dabunt pro eo beneficio quod comes in manus nostras resignavit. Quod si de terris colonorum nostrorum qui mansus nostri sunt aliquando pecunia sua sibi conquisierint vel emerint, et aecclesia nostra per succendentia tempora, pecuniam emptionis reddere potuerit vel voluerit, Averbodensis aecclesia pecuniam suam sine omni usura a nobis recipiet. Et debitam pensionem quam hactenus coloni dominis suis persolvebant, aut eadem terra debet vel debuit, predicta aecclesia nostrae aecclesiae videlicet Malmundariensi fraterne et sine ulla contradictione persolvet. Predictas autem conditions, si ex integro sicut scriptae sunt Averbodensis aecclesia Malmundariensi aecclesiae per succendentia tempora, sive negligentia sive malicia hominum que nostris temporibus nimis excrevit non observaverit et suprascriptum censem V videlicet solidos statuto tempore non persolverit, ex tunc aecclesia Malmundariensis abbatem Averbodensis aecclesiae qui pro tempore fuerit, legitime per XIIIII et XIIIII et XIIIII dies ad satisfactionem judicio hominum nostrorum, eorum maxime qui trecensus nostros solvunt, evocabit. Qui si ad vocationem venerit et de negligentia satisfecerit, ex judicio hominum nostrorum compositio satisfactionis in misericordia abbatis aecclesiae stabit. Si autem, quod absit, venire contempserit, totum beneficium quod a nobis et a Namucensi comite et ab hominibus nostris Adelardo, Erchemanno et Franconi acceperunt, nobis adjudicari faciemus, et ex tunc sine ulla contradictione totum allodium nos et aecclesia nostra possidebimus. Preterea silendum non est quia aecclesia nostra aecclesiam illam tamquam sororem in corporali et spirituali societate suscepit, filiisque illius universa, beneficia sua communicavit, illa quoque econverso in memoriale dilectionis similia nobis rependens, abbatum et fratrum aecclesiae nostrae anniversarium nichilominus quam suorum ibidem sollempniter celebrabit. Haec igitur tam libere a nobis facta, ut rata in perpetuum et inconvulsa permaneant, ad posterorum noticiam scripto transmittere curavimus. Testes quoque qui affuerunt subscribi jussimus et sigilli nostri et aecclesiae necnon et ejusdem aecclesiae Averbodensis impressione roboravimus. Actum est hoc in monasterio Malmundariensi V nonas martii, anno dominice incarnationis M° C° LXX° III°, indictione, regnante domino

Frederico Romanorum imperatore augusto, Coloniensium antistete Phylippo, anno vero ordinationis nostrae XIII. Testes de fratribus qui interfuerunt hi sunt : Albertus decanus, Heribrandus subdecanus, Bovo prepositus, Cuono prepositus, Liebertus, Albertus camerarius, Popo Cuarerus; de fratribus Averbodensis aeccliae : Elbertus, Emmilinus; et dominus Phylippus abbas de Parcho. In Christo feliciter. Amen.